

ΘΗΣΑΥΡΟΣ ΤΗΣ ΕΛΛΗΝΙΚΗΣ ΓΛΩΣΣΗΣ

THESAURUS GRÆCÆ LINGUÆ AB HENRICO STEPHANO CONSTRUCTUS

Ἐπιληψία , ἥ , Invasio. [Accensiuncula, Gl.] Videtur enim hoc nomen, quum restringitur ad signif. morbi, qui et servato nomine Gr. dicitur Epilepsia, inclusam tamen simul Invasionis signif. habere ; et quidem eo sensu, quo et Thuc. pestem dixit ἐπιλαμβάνειν , ut supra docui, i.e. vel Invadere, vel Corripere : sed ab hoc non habemus itidem verbale, ita ut hujus morbi invasio, κατ' ἐξοχήν , ut ita dicam, sic appellatur sine adjunctione. Quamquam si quis malit ἐπιληψίαν appellatum eum morbum ab eo τοῦ ἐπιλαμβάνειν usu, quo ponitur pro Retinere, s. potius quo ponitur pro Sistere, non valde repugnarim : ut sc. ita vocetur a sistendis sensuum actionibus. Ap. Galen. et alios multis in ll. de hoc morbo tractantes, nihil de hujus appellationis origine invenio : at vero Alex. Trall., postquam de iis, qui morbo isto correpti sunt, dixit, eos nec audire, nec videre, nec intelligere, sed omnium sensuum facultate destitutos jacere, nihil differentes a mortuis, subjungit, Διὰ τοῦτο καὶ ἐπιληψίαν τὸ πάθος ἐκάλεσαν , διὰ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι καὶ κρατεῖσθαι αὐτῶν τὰς αἰσθήσεις · sed hic ego reponere non dubitarim ἐπιλαμβάνεσθαι pro ἐπιλανθάνεσθαι , ut sc. καὶ κρατεῖσθαι. Ἐπ., inquit Gorr., Comitialis morbus [Gl.]. Est Convulsio totius corporis non perpetua, cum mentis et sensuum oblæsione. Eam molestæ rei sensus invehit et cerebro noxiæ tum quantitate tum qualitate. Quantitas quidem cerebro gravis est, ejusque vim expultricem excitat ; consistitque in humore vel pituitoso vel melancholico, sed fere semper frigido, crasso et viscoso. Quem tamen non adeo multum esse oportet, ut penitus obstruat, vimque ipsius cerebri exuperet : alioqui non ἐπιληψίαν , sed ἀποπληξίαν potius pareret : sed quantitate mediocrem, ut ad ejus depulsionem, quam natura totius corporis concussu molitur, cerebro vires adhuc suppetant. Qualitas vero maligna et venenata, et virtuti animali infesta est sive a veneno sumpto, s. ab ulcere cacoethe cerebri vel subjectarum partium, s. ab alia affectione, ut ventriculi

cruditate, et largo meri potu, proficiscatur. Itaque ubi eorum aliquid in cerebro præter naturam fuerit, ipsum movendi sentiendique principium in sese recurrit et contrahitur, atque ita totius corporis convulsionem inducit : quinetiam eam a se amoliri contendit, crebra et inæquali cerebri totiusque corporis concussione. Apparent enim manifesto in eo morbo hæc duos symptomata, convulsio concussioque tanta, ut spumam etiam eliciat. Valido enim motu humor, qui in cerebro continetur, exagitatus, non aliter quam ovi candidam spumam creat. Et multis interjectis, Est enim hoc præcipuum inter ἀποπληξίαν et ἐπιληψίαν discrimem, quod et inter paralysim tremoremque esse animadvertitur. In hoc enim tremor epilepsiæ quodammodo similis est, sicut paralysis apoplexiæ. Ergo ut tremoris causa non est obstructio, sed superfluus tantum humor naturæ gravis, et gravitate dumtaxat, non etiam obstructione, sicut in paralysi motum conatusque naturæ impediens ; ita in epilepsia judicare licet, humorem, qui copia sua cerebro nocet, non ea ratione epilepsiam aliaque ejus symptomata excitare, quod obstruat, sed tantum quod gravis et molestus cerebro existat ; eoque fieri ut inde concitata facultas animalis in suum principium se recipiat, quo tota in ejus depulsionem postea incumbat, etc. Aliquanto post, Morbus hic universalis quidem, diuturnus est, ut qui a pueritia maxime incipiens (qua de causa, opinor, Hippocr. De aere, locis et aquis, πάθος παιδίων appellavit), fere semper consenescat : particularibus vero accessionibus, inter acutos, qui sine febre sunt, a Galeno numeratur. Eundem morbum veteres νόσον μεγάλην et ἥρακλειάν , necnon ἰερὰν vocarunt, iis nominibus ejus magnitudinem designantes. Lat. Comitialitem dixerunt, quod in comitiis et hominum frequentia maxime invadat. Hactenus ille. Sed hujus appellationis, qua ἰερὰ νόσος dicebatur, afferuntur et aliæ rationes ab Aret., ut conjecturæ tamen : Alex. Trall. vero ἰερὰν νόσον nominatum fuisse scribit hunc morbum, διὰ τὸ ἰερὸν καὶ τίμιον εἶναι τὸν ἐγκέφαλον. Hinc ἐπίληπτος et ἐπιληπτικός , de quibus supra. [V. etiam Ἐπιλυσία. Ἐπιληψίαν memorant Plut. Mor. p. 290, A ; 981, D, Aret. p. 15, et sæpius p. 28, aliique medici. Locos Hippocratis v. in indice Foesii. Sonticus morbus interpr. Gl.] || Retentio, Obstructio, Obturatio ; Budæo Retentio et Obturatio, afferenti ex Aristot. Probl. s. 2, [1] : Ὡσπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκ τῶν κλεψυδρῶν , ὅταν πλήρεις οὐσας ἐπιλάβῃ τις · ὅταν δὲ ἐξέλθῃ τὸ πνεῦμα κατεχόμενον , πολὺς γίνεται ὁ ἰδρῶς, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἐπιληψία ἀθροισθῆναι κατὰ μικρὸν · i.e. inquit, In retentione spiritus, Quum sistitur spiritus. Sed fortasse potius credendum est Aristot. scripsisse ἐπιλήψει.